



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 116. Insidiæ in vitam sancti Caroli ab Humiliatorum Præpositis structæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

quinimo Carolus in ea epistola, quam se defendendi necessitas extorserat, nisi rei gestæ seriem exponens, nihil omnino addebat, quod suos accusatores offendere potuisset: insuper quamvis Pius V. illis, qui milites convocabant, vimque Cardinali inferebant, absolutionem denegari, eosque severe castigari voluerit, nihilominus sanctus hic Præsul tam importunis precibus Papam fatigabat, ut is totum negotium ejus arbitrio relinqueret, ipsemet vero hosce reos duntaxat ad mulctam pecuniariam pro Ecclesiarum restauratione erogandam adigebat.

§. CXVI.

Insidiæ in vitam sancti Caroli ab Humiliatorum Præpositis structæ.

Paulopost Dæmon alios hostes concitabat in sanctum hunc Archiepiscopum, qui etiam eorum insidiis succubisset, nisi Deus ipsum luculenter protexisset, quippe Humiliatorum Ordinem, ut supra meminimus, ad pristinæ disciplinæ fervorem reducere aggredebatur, atque etiam præcepta ab eo præscripta potissima Religiosorum pars lubenti animo recipiebat, ea tamen hujus instituti Superioribus, qui Præpositi vocati fuere, haud toleranda videbantur, eoquod hac ratione ad

Sæcul. XVI.
A. C 1569.

*Giuss. c. 23.
Ripam. l. c.
Cacq. vit.
Pontif. t. 3.
pag. 893.*

Sæcul. XVI vitæ genus Religiosæ disciplinæ con-
A. C. 1569. gruum revocati de suis beneficiis libere
 disponere haud amplius valent; ea-
 propter apud Principes, ac Proceres
 vehementer instabant, ut hi Pontificis
 animum ad benigniora flectere satage-
 rent; insuper huic novæ Reformationi
 acriter obstrepebant illi, qui Præposi-
 tis sanguine juncti sibi inde damnum
 inferri sentiebant: ideo nil intentatum,
 inausumque relinquebatur, ut pia Car-
 dinalis consilia everterentur: verum
 cuncta eorum molimina in irritum ca-
 debant, sollicitè enim sanctus Archi-
 episcopus cunctis præcavebat, quibus
 summi Pontificis pietas dolose intercipi-
 potuisset: attamen hæc ipsa Borromæi
 constantia adeo Præpositos irritabat, ut
 vindictam sumere, atque Reformationis
 sui vitæ insidiari decernerent, unde ex
 hisce Superioribus tres Præpositi Ver-
 cellensis, Veronensis, & Caravagien-
 sis perversum hoc consilium juncta ope-
 ra exequi statuerunt, spe concepta, per
 hujus sancti Viri obitum vacante Sede
 Archiepiscopali, reformationis adhuc
 recentis germina de seipsis suffoca-
 tum iri.